

Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

Comparati mihi
Witzeb.
p. mat. 12. q.
p. hinc. 4. q.
Al. Joh. Reibel.
1624.

CHRISTOLOGIAS
SACRÆ

Disputatio Quadragesima Tertia.

DE

CONVERSATIO.
NE CHRISTI PER XL.

dies & instructione Disci-
pulorum.

Quam

Annunte *Θεωρητικῶς*

SUB PRÆSIDIO

Dn. BALTHASARIS MEISNERI

S.S. Theolog. D. & P. P.

In privato Collegio ad disputandum

proponit

M. TOBIAS HERMANNUS

Memmingâ Suevus.

*Habebitur ad diem 2. April. horis po-
meridianis.*

In Auditorio minori.



VVITTEBERGÆ,

JOHANNES GORMAN, Excudebat

Anno c19 19 cxx.



Viro

*Nobili, virtute, eruditione &
prudencia Excellentissimo.*

Dn. ELIÆ Engler/
inclytæ Reip. Memmnigenfis Se-
natori Graviffimo, Fautori & Me-
cœnati meo reverenter
colendo.

*Theses has Theologicas
observantia E.
Inscribo*

M. Tobias Hermannus
Autor & Respond.

CONTINUATIO.

Superioribus Disputationibus evictum; Christum, Mundi servatorem, mortis ruptis vinculis, non tantum gloriose resurrexisse; Sed etiam infirmis titubantibus gratiose apparuisse, ut vivum se ostenderet illis, quorum fidem emoriente resuscitare jubebat charitas: nunc inquirendum est; quidnam Messias redivivus per dies 40. qui, juxta scripturam, inter resurrectionem ejus gloriosam & ascensionem Majestaticam intercesserunt dixit, feceritve? Non licebit hic omnia Christi dicta & facta, post resurrectionem peracta, in unum conglobare & operosius pertractare, cum ob pagellarum angustiam, tum quod non nulla suggestio quam cathedræ evidentur aptiora; sed præcipua tantum, quæ disputandi materiam præbent, quorum epitomen nobis exhibent D. Matthæus c. 28. v. 17. & seqq. Marcus c. 16. v. 15. seqq. Lucas Act. 1. v. 3. seqq. Quæq; 1. breviter recensebimus: 2. Questiones in illis controversas movebimus: 3. ad usum Christianam accommodabimus.

Quesis I.

Quæ Christus, gloriosus noster Immanuel, post resurrectionem suam 40. dierum spatium, coram discipulis & fidelibus dixit & fecit illa vel sunt Generalia vel Specialia.

II. Generalia sunt 1. Quod Christus non tantum

(a) Epiph.
haeres 42.
(b) Ide. 42.
haeres 66.
(c) Colloq.
1. vvism.

tantum suis discipulis resurrectionis futuri praeco-
nibus, sed etiam multis alijs, ejusdem testibus, 1.
Cor. 15, v. 6. seipsum vivum exhibuit Act. 1. v.
3. & veram veri sui corporis resurrectionem visui
& tactui exposuit: partim ut stultitiae: Mar-
cionis: (a) furori Manetis (b) & acumini
Menn. Simonis (c) veram Christi Hum. negan-
tium, occurreret; partim ut fideles dubitantes
& suspicantes Luc. 24. v. 39. corrigeret & con-
firmaret. I I. Est, quod sermones fecit ad discipu-
los & reliquos de regno DEI.

III. Qui & quales sermones illi fuerint docet
nos Lucas c. 24. v. 27. 44. 45. 46. Nimirum
non tradidit nova dogmata non scribenda, sed
oretenus propaganda: sed explicavit scripturas
de passione, morte, resurrectione & ascen-
sione Messiae ad caelos, easq; a corruptelis &
carnalibus somnijs Phariseorum de regno Messiae
temporalis, vindicavit solidissime.

(d) Bell. lib.
4. de verb.
Dei c. 5.

IV. Ineptiunt ergo Iesuitae, qui suis traditio-
nibus puta: Corporis Christi circumgestationis
peregrinationibus & in summa omnibus quae
Pontificia Ecclesia scripturae testimoniis
neq; docere potest, neq; probare, in his ver-
bis Christi quaerunt patrocinium, quod facit Bel-
larmirus (d) Illa, inquiens, quae promitte-
bat Dominus se dicturum Ioh. 16. dixit haut
dubie post resurrectionem suam &c. R. 1.
Quae Bellarmine consequentia? Christus locutus
est discipulis suis de regno Dei E. illis manda-
vit traditiones: similis est huic: Pontifex R. cum
Iesuitis consultat de Rom. Eccl. propagatione B.

docet Evangl. II, Lucasc. 24. v. 44. expressè te-
 statur; quod Christus ex Mose & Prophetis ea re-
 petierit & explicarit quæ prius discipulis sæpius
 dixerat: unde argumentor: Quæ Christus dis-
 cipulis suis ante passionem suam non reve-
 lavit, quæq; in Mose, Prophetis & Psalmis
 non continentur illa Christus discipulis suis
 post resurrectionem nec explicavit nec cõ-
 mendavit: sed traditiones Christus discipulis su-
 is ante passionem non revelavit, fatente Bell.
 qui illarum doctrinam ad 40. dies refert, nec in
 Mose, Prophetis & Psalmis continentur E. 3. Quæ
 traditiones post ascensionem Christi demũ
 sunt inventæ, & pugnant cum doctrina Chri-
 sti, illæ pro traditionib. Christi venditari ne-
 queunt. Traditiones falsò ita dictæ Apostolicæ
 sunt tales E. Maior est vera; nisi velimus dicere
 aliquid esse, anteq; est. aut Christum sibi cõ-
 tradixisse: Minorem probant B. Chemnit. (e)
 Clarif. Dn. Præcept. Gerhardus (f) & Rev.
 Dn. Præceptor Meisnerus (g) Quod ad dictum
 Ioh. 16. v. 12. à Bell. allegatum attinet, cum illo
 conferat Iesuita Ioh. 15. v. 15. Ioh. 16. v. 13. I. Ioh.
 1. v. 3. 4. & videbit facere Christum verba, non de
 novorum dogmatum traditione, sed de tra-
 ditorum confirmatione per Spiritum S. Ioh.
 16. v. 13.

V. Non sufficit Iesuitæ ex hoc loco suas traditio-
 nes extorquere; sed idem pergit, pro sua liberali-
 tate, ex eodem septem sua Sacramenta elice-
 re: Sic n. dicit l. d. Dominus sine dubio tra-

(e) parti.
 Ex. C. T. de
 Trad.
 (f) Tom. 1.
 loc. c. 4.
 (g) in
 Tractat. de
 de Canon
 Apost.

didit Sacramenta in illis diebus. R. 1. Petimus
 à Cardinali amice, ut unicum jota monstret, cui
 innitatur Sacramentor. institutio: Nā ejus (sine
 dubio tradidit) per (sine dubio. non tradi-
 dit) solvimus. 2. Annon. Baptismus. Luc. 3. v. 2. 3. 4.
 Sacra cœna Matth. 26. v. 26. ante illos dies
 fuit instituta; matrimonium & pœnitentia
 mundi numerare possunt annos?
 Confirmatio ordo & extrema unctio Antichristi
 demū tempore, sacramēta propriè ita dicta, voca-
 bātur & ita ab hominibus instituebātur, quod pro-
 bant, & contraria argumenta refutant, B.
 Chemn. (h) Dn. Gerhardus (i) Dn. Meisne-
 rus (k).
 VI. Unde promptū est judicare, quid statuen-
 dum de fictis & dictis Sacramentis illis Pon-
 tificiorum: Cum enim Solus Deus sit Sacra-
 mentorū institutor, quia virtus Sacramenti
 est ex Solo D B O, ut proprius illorum propheta
 Thomas alicubi dicit, & inductione omnium Sa-
 cramentor. probari potest; sequitur illas actiones
 partim non esse propriè dicta Sacramēta, sed
 potius humana figmenta.
 VII. Specialia, quæ Christus dixit & fecit, cō-
 tinent instructio Apostolorum, qua illas ad-
 gentes ablegavit universas, & concio Christi de
 potestate sibi data instructioni præmissa & descri-
 buntur Matth. 28. v. 16. seqq. Marc. 16. v. 15.
 seqq.
 VIII. Instructionis consideranda sunt 1.
 Tempus. 2. Locus. 3. Subjectum 4. Summa.
 IX. Tem^a

(h) part.
 2. Ex. C. T.
 (i) tom. 4.
 loc. f. 3.
 (k) part. 2.
 sob. phil. f.
 2. q. 2. p.
 686. seqq.

IX. Tempus instructionis expressè ab Evangelistis non notatur, sine dubio tamen fuit tempus ascensionem immediatè antecedens, quod ex connexionè textus est manifestum.

X. Locus, ubi illa instructio est peracta, fuit mons Galilææ, & à plerisq; putatur fuisse mōs Thabor, quem Josephus (1) mōtem vocat (1) lib. 4. de Itaburium; mons, cum ob altitudinem & a-mœnitatē, tum ab Christi transfigurationē Matt. 27. v. 1. 2. celeberrimus.

XI. Subjectum, ad quod instructio pertinebat fuerūt discipuli undecim Matth. 28. v. 16. qui tamē non soli in montem Galilææ ascenderāt sed plures sibi junxerant comites, ut Christū redivivum conspicerent: e quibus non-nulli infirmitate humanā lapsi & rationis dominio fascinati, de vera Christi dubitabant resurrectione; quidam vero Christum pro Messia agnoscentes, religiosè illum adorarunt, quod nō tantum phrasī græcæ, sed & Syriacæ סִגְרוּ לֵיהּ Iohan. 4. v. 22. & alibi religiosam notantes adorationem evincunt.

XII. Queritur hic: An Christus secundum utramq; naturam (& sic ut homo in unione tamen personali) religiosè adorari & possit & debeat? Nos affirmativam tenemus: 1. Quia hic cultus filio hominis, est promissus Dan. 7. v. 14. ubi de filio hominis dicitur: לְשֵׁנַי יִפְלֹחַן & omnes linguæ ei servient, quæ phrasī chaldaica nihil aliud quam religiosam adorationem notat

notat, explicante Paulo Rom. 14. v. 11. diligen-
ter confer dictum Ioh. 5. v. 27. ubi illa genu
flexio ad filium refertur Philip. 2. v. 9. 10. 11.
quam significationem vox $\kappa\lambda\epsilon\iota\sigma\iota\varsigma$ obtinet 2. Reg.
10. v. 10. adde Psal. 72. v. 11. & alia vaticinia
& Cultus ille est mandatus Ioh. 14. v. 13. c. 16.
v. 23. 3. Christo non repugnanti exhibitus a disci-
pulis Matth. 28. v. 16. a Thoma Ioh. 20. v. 28.
ab Ecclesia triumphante Apoc. 5. v. 12. 13. & c.

XIII. Impij igitur sūt Calviniani Iesuizantes
& Iesuitæ Calvinizantes (excipio Bezam, qui in
Colloq. Montisbel, Antith. de Persona Chri-
sti 20. carni adorationem tribuit) qui Christo ho-
mini adorationis religiosæ cultum denegant, &
aliquem inferiorem Hum. Christi cultum
affingunt Martin Calvinist. (m) Bellarminus (n)
ubi in primis miramur Iesuitarum vesaniam,
qui $\lambda\alpha\tau\epsilon\iota\sigma\iota\varsigma$ cultum carni Christi negant, & ta-
men ficto panis transubstantiato tribuunt
juxta Concilium Trident, c. 5. de venerat.
Eucharist. Can. 6. imo ipsi matri Christi & san-
ctis aliis quod cuivis petenti in conflictu demon-
strabimus.

XIV. Summam instructionis antequam pro-
ponat Christus, concionem de communicata
sibi omnipotentia verè & merè divinâ do-
cumentis & fundamentis loco præmittit: $\epsilon\delta\acute{o}\theta\eta\ \mu\omicron\upsilon\varsigma$
inquiens, $\pi\alpha\tau\epsilon\rho\ \epsilon\zeta\ \gamma\epsilon\iota\alpha\ \epsilon\nu\ \gamma\epsilon\gamma\epsilon\nu\acute{o}\ \kappa\epsilon\gamma\ \theta\eta\ \tau\eta\varsigma$
 $\gamma\eta\varsigma$: Cum enim dominator orbis in orbem profa-
num & insanum erat emissurus milites inermes,

(m) p. 86. de
fens. Sada-
& p. 598 lib.
contra
ubiquit
(n) lib. 1. de
sanct. beat.
c. 14.

ut illum fidei subjugarent, voluit de omnipotentia sua discipulos edocere, ne ex infirmitate fugerent illos, quibus superiores esse debebant mandato & Potentia divina.

XV. Quare non dubitamus asserere per $\pi\alpha\sigma\alpha$ $\epsilon\zeta\chi\sigma\iota\alpha\upsilon$ hic notari $\pi\alpha\upsilon\tau\alpha\delta\upsilon\upsilon\alpha\mu\iota\alpha\upsilon$, quam Christus mundi potentiae tacite opponit: idq; probamus 1. ex voce $\pi\alpha\sigma\alpha$: cui enim omnis potestas est concessa, illi quaedam potestas non est negata: 2. ex $\omega\epsilon\iota\Phi\epsilon\alpha\sigma\iota\varsigma$ eius potestatis: dicitur enim $\epsilon\zeta\chi\sigma\iota\alpha\upsilon$ $\epsilon\upsilon\ \delta\epsilon\gamma\upsilon\omega\ \eta\gamma\iota\ \delta\tau\iota\ \gamma\eta\varsigma$: haec autem $\omega\epsilon\iota\Phi\epsilon\alpha\sigma\iota\varsigma$ est descriptio infinitae potentiae divinae Gen. 24. v. 7. 1. Chron. 29. v. 11. Psal. 135. v. 3. Matth. 21. v. 25.

XVI. Nec est, quod hic latibulum quaerant Calviniani in distinctione $\epsilon\zeta\chi\sigma\iota\alpha\upsilon$ & $\delta\upsilon\omega\delta\mu\epsilon\omega\varsigma$. Piscat. in Observ. in h.l. Ut enim non negamus illam differentiam in certis subjectis (ut cum dico Calviniani habeant $\delta\upsilon\omega\delta\mu\epsilon\omega\varsigma$ destruendi imagines, $\epsilon\zeta\chi\sigma\iota\alpha\upsilon$ non habent: Pontifex R. habet $\delta\upsilon\omega\delta\mu\epsilon\omega\varsigma$ vexandi Ecclesias Lutheranas, $\epsilon\zeta\chi\sigma\iota\alpha\upsilon$ non habet) ita in Deo $\delta\upsilon\omega\delta\mu\epsilon\omega\varsigma$ & $\epsilon\zeta\chi\sigma\iota\alpha\upsilon$ distingui vel separari pernegamus, nisi velimus Deum statuere impotentem h. est Deum negare.

XVII. Et hanc divinam omnipotentiam cum scriptura asserimus Christo datam secundum humanam naturam. negantibus id Calvinianis Pisc. l. d. Bez. p. r. Resp. ad Act. Coll. M. p. 133. quibus responsum supra disp. 18. vide
hac

*Hac de re Clarif. Dn. Menz. in Martinio Elen.
disp. 2. th. 95. seqq. & in Antimartin. p. 496.*

XIIX. Huic fundamento decommunicata omnipotentia, Christus superstruit ipsam instructionem & emissionem discipulorum: unde illa emissio in textu per particulam & cum precedentibus connectitur:

XIIX. Instructio hac continet 1. Mandatum de vniversali Evangelij propagatione, 2. Præceptum de fidelium baptizatiōe. 3. Triplex promissum: quorum 1. de fidei fructu ordinario, salute scilicet æterna. & 3. de gratiosa Christi ἰσχυρὸς παρουσία presentia ad omnes pertinet fideles. 2. de speciali & extraordinario fidei effectu miraculorum, ad quosdam saltem Christianos.

XX. Vniversalem omnium hominum vocationem Christum hic præcepisse nullum est dubium: cum Christus expresse jubeat discipulis ut exeant per mundum uniuersum, & Evangelium prædicent omni creaturæ (scilicet rationali, Evangelium enim piscib. & avibus &c. non est prædicandum, ut à Fratre asini Francisco factum) sive omnibus gentibus: post maceriem enim medijs Parietis sublatam Eph. 2, v. 14. oves in unum ovile erant congregandæ.

XX.I Neque tamen hinc sequitur, Ethnicos V. T. nullo modo ad regnū Messis fuisse vocatos, cum non ἰσχυρὸς modo fuerint vocati, nam à negatione modi rei, ad rei negationem infirma est collectio: Concedimus equidem non viguis-

se inter illos verbi divinum ministerium (illud enim perferre volebant) Psa. 147. v. 19. 20. non tam defuit illis omne ad Ecclesiam perveniendi medium, id quod erudite demonstrat Rev. Dn. D. Franz. (o)

(o) in tract. de intarp. script. à p. 196. ad 239.

XXII. Cum vero discipuli Christi non proprio motu, sed Christi mandato permoti, docendi partes suscepert, non abs re erit quærere: An quis hodie publicè docere possit absq; vocatione & mandato? Ita ajunt Photiniani: Theophilus Nicolaides (p) & Iohannes Volkelius (q) Nos brevitatis studio opponimus dictum Rom. 10. v. 15. Heb. 5. v. 14. Plura qui cupit, adeat Dn. Gerhard. tom. 6. loc. §. 55. seqq.

(p) in defes. tract. de ministr. vocat. p. 139. (q) in resp. ad vanam

XXIII. Evangelij annunciationem & receptionem immediate excipit baptismi ad baptizantes eos in nomen patris & filij & Spiritus Sancti.

refut. Dissolut. Nodi Gordij à Mart. Smit-

XXIV. Non hac est prima S. Baptismi institutio, quod patet ex q. 5. th. Sed Baptismi já dudum instituti & administrati Ioh. 1. v. 25. solemniter promulgatio & declaratio; quod Baptismus hactenus in Iudæa administratus, non ad certum populum, & tempus, sed ad omnes omnino populos, doctrine Christi addictos omnibus temporibus, pertineat.

glecio nexi p. 5. seq.

XXV. Propter Photinianos, impios omnium articulor. fidei destructores, h. l. quærendum An Christus hic, verba faciat de aquæ Baptismo?

Negat

Negat id Hieronym. à Moscovv. (r) & alij: qui
 (r) in refut. per baptismum, nihil aliud intelligunt, quam
 lib. Smigle- doctrinam. R. I. Photiniani probandum incum-
 cij de bap- bit, aliquando in scriptura baptismum significa-
 tis. c. 2. p. 45. re doctrinam, hoc n. nos negamus. 2. Et si vel
 maxime probaretur, quid illa significatio ad præ-
 sentem locum, in quo expresse doctrina & ba-
 ptismus distinguuntur: prius n. instituendi es-
 sēt homines adulti in doctrina Patris, filij & S. S. po-
 stea baptizandi. Hic igitur si vox, βαπτίζοντες, ha-
 bet eandem significationē, quā vox μαθητεύοντες
 juxta Photinianos, sequitur, discipulos Chri-
 sti fieri potuisse qui in ejus doctrina nō fue-
 rūt instituti, quod absurdum. 3. Paulus I Cor. I.
 v. 17. expresse testatur distinctionem esse inter do-
 ctrinā & Baptismū, quando se negat ad baptisā-
 dum (primario: baptizavit n. procul dubio nō
 contra Christi mandatū v. 15. 16.) esse missum
 sed ad evangelizandū, quæ a. hæc esset oppositio
 Apostolica & logica, si vox (evangelizo) haberet eū-
 dem sensū, quam habet vox (baptizo) (Hæc nimirū:
 ego nō ad baptizandū, sed ad baptizandum
 sū missus id est nō ad docendū sed ad docen-
 dū: ἄρα πῶν! ἄλογον! Concludim⁹ E. Baptismū &
 hic & in alijs locis plurib. aquæ denotare Bapism:
 (r) lib. d. p. 1. XXIV A Photiniani ulterio⁹ queritur: an baptism⁹
 (s) tractat. hodiè necessari⁹? Non eadē Photiniani de hac
 p. 53. quæst. mens? Hieron. Moscorov. (r) fatetur: se
 (t) in tract. admittere baptismi necessitatē: Theop. Nico-
 de bap. laid (s) baptismū pro re indifferenti habet sed
 adult, Johan. Somm. (t) baptismi necessitatem prorsus negās
 dicit

Baptismus ad nos nihil pertinet, nec saniori à nobis iudicio usurpatur, quàm si quis arcam Noë Gen. 8. Iugum Ieremiæ. 28. aut regis Ioas sagittas 2. Reg. 13. sine certo DEI iussu & mandato velit imitari & redintegrari R. Per quod Sacramentum I. Regeneramur & renovamur, Tit. 3. v. 5. II. Christum induimus Gal. 3. v. 27. & III. in fœdus Dei recipimur, illud est necessarium. Per Baptismo sacramentum hoc fit, juxta dicta allegata, E.

XXV. Ex hujus questionis decisione fuit refutatio perniciosi illius erroris, quem Calvinianicum Photinianis errant: Baptismum non conferre regenerationem: Cinglius in Confess. An. 30. art. 7. Calvinus lib. 4. inst. c. 15. Moscorovius l. d. p. 107. Nobis sufficiunt dicta allata tb. 24. Cū neq; dictum scriptura, neq; ratione aliquā adversarij possint reponere: Planè n. infirmum est, quod Moscorovius l. d. urget: Deum nuspiā rei externæ eam vim indidisse, ut effectus produceret spirituales: Non n. statuimus, vim illam regenerandi in aqua herere, sed aquæ conjungimus gratiā & operationes Spiritus S. qui per aquam tanq; per instrumentū agit; jam vero notum est instrumentum non agere sua virtute, sed vi & influentia principalis agentis, & ita effectum producere, quem subjective in se non continet.

XXVI. Ex dictis non difficile est respondere Photinianis pædo baptismum negantibus, Catech. Racov. p. 125. Moscorov. l. d. c. 7. pag. 117. seqq. Firmiter enim ille probatur

batur ex dicto Messie Ioh. 3, 5 Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non possit intrare in regnū Dei, ex quo tale necesse est argumentū: Quicūq; debent ingredi in regnum cælor, illi ex aqua & spiritu renascantur necesse est: Infantes debent ingredi in regnum cælor. E. Neq; est quod illi excipiant. I. Nullibi in scriptura pædobaptismū fuisse præceptum. Nos urgemus mandatum Christi: Baptizate omnes gentes, & dicimus tripliciter aliquid in scriptura cōtineri, I. quoad literam & sensum: Non adorabis Deos alienos Exod. 20. v. 5. II. quoad literam & non quoad sensum: erue oculum & projice abs te, Matt. 5. v. 29. III. quoad sensum sed non quoad literam: ut mulieres sint homines: mulieres sunt Baptizate. hoc postremo modo pædobaptismum fuisse præceptum, asserimus non primo. Neq; 2. quicquam roboris habet, quod excipiunt infantes carere rationis usu, nec actionem intelligere: Non enim hæc cælestis regeneratio à ratione pendet, sed à virtute Spiritus S. Quæ igitur consequentia? Nos ignoramus quomodo infantes Baptizati regenerentur. E. non regenerantur: Nulla. A nostra enim ignoratione, ad rei negationem non valet argumentum: aliàs concluderem: Ignoramus quomodo infantes V. T. per præputij circumcisionem fuerint in fœdus recepti: ignoramus quomodo infantes אֲבִיבֵי sugentes ubera matrum Deum laudent: ignoramus; quomodo Deus sit suscitaturus nostra Corpora E. illud non factum, sit aut fiet. (Omnia absurda!

XVII. Mandato de Evangelij predicatone & Baptismi administratione Messias triplex subjungit promissum.

XXIIX. I. Est de fine fidei, omnibus credentibus & perseverantibus propositus, isq; est salus animarum 1. Pet. 1. v. 9. Qui crediderit &c.

XXIX. II. Est de virtute edendi miracula: signa vero &c. signa, ut apparet ex enumeratione fuerunt miracula, quae Apostoli & non-nulli alij virtute et mandato Christi ediderunt. Fuit illa potestas non universalis sed personalis & temporalis i. e. certo tempore & personis limitata. Quod a. Evangelistae omnibus credentibus attribuunt, id non effectivè sed participativè est intelligendum: vide Irenæum lib. 2. c. 57. p. 160.

XXX. Finis miraculorum fuit vel principalis vel minus principalis: Minus principalis utilitas hominum vide August. lib. 1. de util. cred. c. 16. principalis confirmatio doctrinae tunc temporis renovatae & manifestatae.

XXXI. Confirmata jam doctrina dudum cessarunt miracula.

XXXII. Iniquum igitur est, quod Pontificij à nobis miracula petunt, cum tamen non novam sed his ipsis miraculis confirmatam habeamus doctrinam: quibus obijcimus illud August. lib. 22, de civit. Dei c. 8. quisquis adhuc prodigia, ut credat, inquit, magnum ipse est prodigium, qui mundo credente non credit: Stultitia est quod miracula fingunt) eo ipso enim
doctri-


doctrinam suam, ut novam & miraculis indigen-
tem, produunt.

XXXIII. III. Promissum est de gratiosa Chri-
sti præsentia cum discipulis & tota Ecclesia Chri-
stiana, de qua supra Disp. 20. actum.

*Meditatio
practica.*

XXXIV. Nos igitur concludentes gratias agi-
mus Immanueli nostro benignissimo, quod
nos in tenebris mortis sedentes verbi sui
prædicatione illuminare, & discipulorū mi-
nisterio ad regnum gratiæ gratiosè vocare
fuit dignatus. Concede quæso Iesu benig-
nissime, ut illo verbi tui lumine diu frui
possimus. Dissipa furores hostium qui lu-
cem Evangelij extinguere satagunt: Tu e-
nim solus qui hoc potes, quia omni-
potens: Loquere igitur ad illos
in furore tuo, ut hosti-
um caterva pudefi-
at. Fiat.

F I N I S.




Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



OGIAS
E
gesima Tertia.
SATIO.
I PER XL.
one Disci-
DIO
MEISNERI
& P.P.
disputandum.
MANNUS
evus.
pril. boris po-
minori.
GÆ,
N. Excudebat
XX.

